

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Loca Amos 2. 6. & 8. 6. illustrantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

38 De CALCEIS HEBRAOR.

vili pretio constiterint phæcasia, ut
pote quatuor empta denariis, quam-
obrem & Seneca illa ironice *rem*
magnam vocat. Non pluris consti-
tisse Hebræorum calcei videntur,
imo vix ullum vestimentum viliori
pretio fuisse. Apud Amosum con-

Amos 2.6. queritur Deus, *quod egenum vendi-
derint pari calceorum.* Inter alia
quæ recensentur istorum homi-
num peccata, perstringuntur Ju-
dices illius ævi, qui pecuniæ gra-
tia injustè judicabant, imo vel

egenum vendebant *pari calceorum.*
Idem vitium in aliis notatur, qui
egenum emebant *pari calceorum.* Sci-
licet egenos, quasi homines vilis-
simos & nullius pretii, vel vende-
bant Judices, vel emebant alii *pari*
calceorum, h. e. re minimi pretii.

Par calceorum apud Prophetam
veluti proverbialis est loquendi
ratio, pro re vili & nullius ferè
momenti, quomodo & alibi usur-
pat *frustum panis.* Simile quid apud
Syrachidem legitur de Samuele:
*χεῖματα, καὶ ἐως ταῦθισταν δι-
πάσης σαρκός γε ἔιληφεν.* Pecuniam
Ousque ad calceos ab ulla homine non
accepit. Sensus est apud Samuelem:

Eccles 46.
22.

nihil quidquam à quoquam abstulisti. I. Sam.
 Hoc cum planum sit atque per- 12. 4.
 spicuum non alium sensum esse
 istius dicti; tamen contrarium
 conjectat vir magni nominis
 Martinus Gejerus. Postquam no- Gejer. de
Luct.
 rasset, calceos taxi vel Janthi- Hebr.
 nos ex corio molli tenero ac ele- pag. 293.
 ganti in usum virginum matro-
 narumque delicatarum olim para-
 tos, uti censet Osiander, quo-
 modo & sandalia Judith rapuisse Judith 16.
 dicuntur oculos Holofernis: Forte, II.
 inquit, etiam pro preciosis ejusmodi
 calceis vendiderunt pauperem Amos
2. 6. 8: 6. qua ratione hactenus agri
 alicujus proventus in ocrearum par à
 nobilibus impendi quandoque audivi-
 mus. Sed in ea conjectura erravit
 plane Gejerus. An calcei taxi
 ex corio molli in usu fuerint He-
 bræis non liquet. Quod si vel
 maxime tales in pretio in ea gente
 fuissent, uti verisimile est luxum
 inter Hebræos quoque in calceis
 fuisse, huc neutiquam facerent.
 Etenim totius orationis series ostendit,
 non de preciosis calceamentis
 loqui Prophetam, sed pro re vili &
 minimi pretii par calceorum usurpare.

VIII.